Q. D. B. V.

DISPVTATIO JVRIDICA

DE

VERA JVRAMENTI CREDVLITATIS NATVRA ET INDOLE

QUAM

CONSENSV

ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS

PRÆSIDE

D. JOHANNE GOTTLIEB. REICHELIO

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSISTOR. ADVOC.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

AD D. XXII. NOVEMBR.

SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

CAROLVS SAMVEL SENFF

STOLPENS. MISNIC.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ

LITTERIS ANDREÆ MARTINI SCHEDII.

ANNO MDCCXXV.

VIRO

MAXIME REVERENDO,
AMPLISSIMO DOCTIS-
SIMOQVE

DOMINO

M. CAROLO SAMUELI
SENFFIO,

PASTORI ECCLESIÆ STOLPENSIS
ET
EPHORIÆ BISCHOFFWERDENSIS
ADJVNCTO
OPTIME MERITO

PARENTI SVO INDVL-
GENTISSIMO

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

IN

GRATI ANIMI DOCVMENTVM

ET

VLTERIORIS FAVORIS INCITAMENTVM

DEVOTO CVM VOTO

VT

PERPETVVS FLOREAT

IN TOTIVS FAMILIÆ SOLATIVM

ET

QVAM LONGISSIME SVPERSIT

IN ECCLESIÆ EMOLVMENTVM

DEMISSA AC GRATA

OFFERT MANV

obſequioſiſſimus filius

VIR MAXIME REVERENDE, VENERANDE DOMINE PARENS,

QVum affectum TVVM erga me, etiam materna indulgentia molliorem, & beneficiorum multitudinem, quibus huc usque me complexus es, cogito; intelligo, me debitorem maxime obæratum,

& cujusdam summi Justitiæ Antistitis, quibus in decidendis coutroversiis usus est verba: DEBES? SOLVE! ad me quoque esse directa. Quo pacto autem benefacta TVA, in educatione, in studiorum sumtuum subministratione & quæ sunt id genus alia exhibita, compensare debeo? Debitum agnosco maximum. Unde vero haurienda spes solutionis? Ad cessionis bonorum beneficium confugerem, sed TVO consilio bona, quæ dedisti, hic alibiq; sunt consumta, & nulla, uti non nescis, præterea possideo, exceptis profectitiis, de quorum autem nec proprietate nec usufructu gloriari licet. Multo minus ad exceptionem in foro haud insuetam, quod nulla inter Patrem & filium obligatio efficax intercedat, recurrere æquum est, nisi impugnando immutabiles Juris Naturalis leges ingrati

grati

grati crimine arguendus videar. Qvid igitur tentandum! Forſan in ſolutum me dare licebit. Nec ita magno debito ſatisfactum erit, quia poteſtati patriæ totus jam jam lubentiſſime ſum ſubjectus. Trado igitur omnia, licet pauca, ſcilicet haſce primitias Academicas, vilioris pretii pagellas. Confiteor quidem, VENERANDE PARENS, quod levidenſe hoc ſcriptum, plane impar ſit maximo debito meo compenſando, aſt in ſubſidium a tenerrimo affectu paterno jura paupertatis mihi, non tam ad credulitatis, quam Veritatis juramentum ſe offerenti, exorata volo. Et quamvis utrumque amor TUUS mihi remitteret, debitum tamen pro remiſſo nunquam habebo, ſed etſi ultra alterum tantum aſcenderit, totum debitum cum uſuris exſoluturum, ſancte polliceor. Quod ut eo melius procedat,

Sum-

Summum rerum moderatorem ſupplex adeo, velit TE VENERANDE PARENS, una cum MATRE DILECTISSIMA & ipſis dicata domo per plurimos annos ſalvos & incolumes ſervare, omnique felicitatis genere beare! Quibus precibus ut Deus annuat, vovet

filius obſervantiſſimus
Carolus Samuel
Senff.



§. I.



Mnis veritas rei vel demonſtrari vel probabili ratione evinci poteſt, atque adeo veritatem vel *ſcimus vel credimus.* Veritatis inveſtigandæ & fidei de vero alteri faciendæ cauſa adinventa ſunt juramenta, maxime cum veritas abditis animi receſſibus recondita manifeſtari debet. Hæc veritatis probandæ duplex conſideratio Juramenta, tanquam media probationis, in veritatis & credulitatis juramenta diſtinxit; licet, ſi dicendum, quod res eſt, potius omne juramentum, veritatis in genere dici mereatur: ſicut nec illud ſtatim habetur juramentum credulitatis, quo juraturus ſui commodi cauſa credulus aliquid verum eſſe, tantum ſibi credit, nec credulitatis ſuæ probabiles rationes habet. Perverſus harum vocum intellectus temerariis vel incau-

tis hominibus pejerandi licentiam impunem facile suadere potest. Rectius juramentum credulitatis dicitur eo, quod minime credulus esse, sed omnes circumstantias maxima circumspectione recte trutinare debeat juraturus.

§. II.

Sed ipsum hoc de juramento Credulitatis argumentum variis, non ultimi momenti, dubiis, quæ LAVTERBACHIVS, in Disp. *de juramento credulitatis* aut discutienda reliquit, aut ipse movit, implicitum animadvertere licet. Inprimis vero invidiosa Quorundam de *juramento credulitatis negativo* opinio singulari disquisitione digna est. Quam cum instituimus, placuit simul omnem hanc caussam ad certiora principia revocare, idque eo lubentius, quod ad hujusmodi considerationem ipsa ORD. PROC. SAX. NOV. invitare videbatur. Placebit etiam eo nomine opera nostra, quod non circa obsoletas quasdam tricas, sed circa rem occupata fuerit, quæ hodieque in foro maximo exposita est abusui, & propterea suo jure meretur, cui legitimi termini statuantur. Ut enim in aliis talibus ingenii & eruditionis laudem affectare cuivis concessum est; ita in re vulgari & in foro usitatissima non tam eruditionis quam utilitatis laudem quærere decet, quæ maxima est, si non ad libidinem hominum & periculum innocentium, sed ad veram justitiam sit comparata. Nihil magnificum promittimus, satisfactum erit animo nostro, si hisce

hisce lineolis & veluti punctis aliorum ingenia excitaverimus, ad examinandum ea, quæ de juramento credulitatis in usu sunt: & si judices partesque litigantes ita admoneantur, ut ubique medio, periculi pleno, decenti cum cura & religione utantur.

§. III.

Juramentum credulitatis dicimus *juramentum assertorium subsidiarium; quo de eo, quod probabili conscientia verum existimamus, fidem facimus, ut secundum probabilem hanc veritatem lis impedita tandem expediatur.* Vim ac naturam juramenti assertorii evolvendi otium nobis fecit GERARD. NOODT. *Comm. ad ff. de Jurejurand. in princ.* Utilius inquiramus, quare juramentum credulitatis subsidiarium dici possit. Qui veritatem probabilem, qua nititur, cedere demonstrativæ; illam non sine formidine contrarii contingentis, hanc indubitatam, constantem esse; hac tutius, quam illa, controversiæ decisionem fulciri; tutiorem autem viam a judice eligendam esse; consideraverit: non dubitabit juramentum assertorium subsidiarium generis loco hic admittere. Quin imo quotidie videmus, judicem ad supplendam semiplenam probationem potius contra regulam actori juramentum veritatis, quam reo purgatorium credulitatis injungere, quo facit notab. text. 2. *F.33.* verba: Dominus vero &c.

§. IV.

Differentiam ſpecificam juramenti credulitatis conſtituit *τὸ probabili conſcientia verum,* quo ipſo a juramento veritatis maxime diſtinguitur. Conſcientiam hoc loco non fraudi & ſimulationi, ſed potius ſcientiæ, demonſtrationi & evidentiæ opponi, quilibet videt. Non minus enim de veritate quam de credulitate ex ſententia animi & bona fide jurari debet. Haud negabimus, de certo etiam & evidenti *Conſcientiam* dici, qua de cauſa limitationem *probabili* adjecimus. Neque tamen invitis legibus uſi ſumus hoc vocabulo, cum juramentum credulitatis nominatim dicatur Juramentum *de Conſcientia 2. F. 33.* ibi: *Jurabit Vaſallus ſine mentione* conſcientiæ, i. e. de veritate: *Dominus quoque de ſuo facto ſimiliter. De facto vero patris vel avi vel alterius aſcendentis, juramento* conſcientia *præponetur.* OBRECHT. *de Jurament. Calumn. c. X. n. 22.* Similiter dicitur in *l. 2. C. de Fideicomm. conſcientia relicti fideicommiſſi*, *conf. l. 19. C. de Teſtam. l. 5.* §. 7. *ff. de injuſt. rupt. irrit. fact. Teſtam. Probabilis conſcientia facti* nobis eſt, ubi ex pluribus factum attingentibus & graviter afficientibus circumſtantiis, quibus alias vere & directe repugnare non invenimus, in una hypotheſi earum virtus colligitur, quæ animo noſtro verum ejusmodi adeo inſinuat, ut ita non aliter factum vel non factum eſſe firmiter credamus. Hæc *τῦ probabilis* acceptio in legibus non infrequens eſt, ita in *l. 2. C. de Inſtitut. & ſubſtit.* e verbis teſtamenti materni colligitur,

tur, id quod tutrix *probabili consilio voluerit. conf. l. 7. §. 13. ff. de SCto Maced. j. l. 6. §. 5. ff. de Carbon. Edict.*

§. V.

Fieri autem potest, ut, quæ maxime probabilis de facto alieno nobis jam jam visa est sententia, &, quam eo qvidem tempore adeo juramento confirmavimus, postea temporis infirmetur, ex quo circumstantiæ aliæ subvenerunt, quæ in id, quod ab altero factum vel non factum esse dicitur, fortius & propius vim suam inferunt, ita, quæ ex virtute priorum circumstantiarum vix stabilita sunt, fortiori vi subsequente concidunt. Quo ipso tamen Juramenti credulitatis, quod hac veritate probabili nititur, auctoritas & vis non labefactatur, sed conscientiæ, post juramentum aliter edoctæ, & de perjurio commisso sollicitæ potius consulitur, & simul apprime edocemur, quæ & quantæ infirmitates scire nostrum comitentur, quam caute & sollicite in inquirendis & colligendis circumstantiis versari debeamus: quam prudenter ab ipsis circumstantiis procedendum sit ad conclusionem aliquam affirmativam aut negativam. Quæ cum omnia singularem circumspectionem requirant, quam plebi aliisque minus exercitatis attribuere vix licet: apparet quanta industria illis hominibus ab aliis sit succurrendum, quibus aut officii ratio, aut communis justitiæ & veritatis amor injunxit, ut operam dare debeant, ne quid veritas, aut conscientiæ capiant detrimenti.

§. VI.

His itaque præſtructis manifeſtum eſt, quæ ſit differentia ſpecifica probabilis conſcientiæ & perfectæ ſcientiæ adeoque juramenti credulitatis & veritatis. Inde autem per ſe fluit, de facto alieno regulariter de credulitate jurandum eſſe. Quoties autem in præſentia ejus, cui jus jurandum defertur, aliquid a tertio factum vel non factum eſt, vel aliæ legitimæ præſumtiones ſcientiæ perfectæ facti alieni adſunt, de quibus vid. VINC. CAROCIUM *de Jurament. Deciſiv. Quæſt. XII. principal. per tot.* nullum dubium eſt, quin & de facto alieno alteri juramentum veritatis deferri poſſit. Id quod abunde probat ipſa *O. P. S. N. ad Tit. XIIX.* §. *VI.* ubi cedentis hæredes pro re nata, nach Gelegenheit der Umſtände potius de veritate, quam ceſſionarius de credulitate jurare jubentur, idem fere *c. l.* §. *V.* poſt verb: Wenn aber dergleichen cautum eſt, a tutore, ſi res ita ferret, pro pupillo ſuo a ſe delatum vel relatum, ut & calumniæ juramentum de veritate præſtandum eſſe, licet revera de facto alieno juret. Hinc quoque factum eſſe arbitramur, quod in O. P. S. N. ad eund. *Tit. XIIX.* §. *III.* non expreſſe diſpoſitum, ſed potius res examini & arbitrio judicis relicta ſit, judex vero naturam rerum, quæ circumſtant ipſa facta propria vel aliena, in §. *V.* & *VI. modo alleg.* probe conſiderare nominatim jubetur, adeoque his ſatis evincitur, non ubique circa facta aliena de credulitate jurari, ſed ex principiis memoratis rem omnem temperan-

randam esse. Sicuti & super facto proprio aliquem ad juramentum credulitatis admittere, ipsa rerum, quæ circumstant, qualitas & sola necessitas sæpe extra ordinem imperat, si quem de facto proprio sed nimis antiquo & obscuro, aut cui suo tempore forte non adeo attenderit, certam & infallibilem notitiam non habere appareat. Si quidem eadem fere in antiquis & obscuris, nec non in his rebus, quas negligentius paulo tractavimus, quarumque propterea circumstantias non accurate perspeximus, ut earum vix recordari queamus, eadem, inquam, quæ in alienis factis pro hominum imbecillitate præsumenda est scientiæ incertitudo; Invitis autem & fluctuantibus perjurium anceps subire, graviter interdictum est *l. 4. ff. de in lit. jurand. j. l. 192. §. 1. ff. d. Reg. Jur. conf.* LAUTERB. *Disputat. de Juram. Credulitat. part. poster. th. XXVI. n. 2.*

§. VII.

Contra ea, quæ jam dicta sunt, usus fori, qui tyrannidem sæpe exercet, axioma practicum in nonnullis judiciis introduxerat, nimirum prout res vel conscientiæ tantum, vel simul scientiæ & notitiæ alicujus commissa esset, aut de veritate aut de credulitate jurandum esse: Quæ doctrina plurimis subtilitatibus, fingendis fatalibus, & disputationibus fori perniciosam ansam dedit, & ex male intellecto O. P. S. *Tit. XIIX. §. V.* orta esse videtur, ubi tamen nullum principium universale, sed potius solennis verborum, deferendi jura-

juramenti conceptio præscripta est, forsitan eo consilio, ut judici & litiganti facilius pateret, quale juramentum delatum & injungendum sit. Et quis non videt, vocabula ista conscientia, scientia & notitia, **Gewißen, Wissenschafft und Wohlbewust** ita vulgari usu non differre, ut iis essentialiter juramenta veritatis & credulitatis distincta esse judicari debeat. Nedum ut alter ubique ad jurandum eo modo, quo alter deposcit, compelli possit, sed pro diversitate negotii & diversa ipsius obligatione diversimode pronunciandum sit. Quare inanis ista scrupulositas verborum & practicorum principium modo dictum O. P. S. N. §. *III.* penitus abrogatum est.

§. VIII.

Qvi hæc recte perspiciunt, statim pronunciabunt, quod ignorantia facti juramento credulitatis in genere probari nequeat, id quod etiam *l. 2. §. 2. C. de jurejur. propter calumn.* satis evincitur, quæ rationem juramenti a tutore, curatore vel administratore legitimo præstandi his ipsis verbis indicat: *Quia ipsi causam scientes ita ad eam perveniunt;* & porro: *eo, quod ex animi sui scientia jurent.* Quæ scientia in proxime subsequentibus verbis *leg. alleg.* non minus eleganter quam perspicue in apodicticam & probabilem distincta invenitur, quæ ita habent: *Et licet veræ causæ natura alia forsitan est, tamen quod quisque* credit & existimat, *hoc est jurandum.* Ut distinctius de sententia nostra constet, ita argumentamur: Aut de scientia aut

de

de ignorantia nostra jurejurando fidem facere debemus. Scientia quidem vel apodictica est, vel probabilis, & proinde admittit juramentum veritatis aut credulitati: At quis ignorantiam divisit unquam in *ignorantiam apodicticam & probabilem. Vincibilem* novimus & *invincibilem* ignorantiam, & sentimus fere, hanc in causa fuisse, ut quidam DD. inde aliam istam divisionem juramenti credulitatis in affirmativum & negativum construxerint. Hoc vero cum nunquam factum sit, & natura ignorantiæ, quam jurejurando affirmamus, nec probabilitatem nec demonstrationem admittat; apparet liquido, unum tantummodo genus juramenti ignorantiæ admittendum esse, quod ipsum contradistinctum est, juramento tam veritatis, quam credulitatis. Qui juramentum credulitatis negativum admittunt, hoc cum juramento ignorantiæ confundere non abs re nobis videntur. Dum enim *juramentum credulitatis affirmativum ab negativo* his conceptis verbis distinguunt, ut illo quis *se credere factum, vel credere non factum esse;* & hoc jurans, *se non credere factum esse, vel non credere non factum esse*, perhibeatur: manifestum est, & fundamento dividendi destitui, & frustraneam esse hanc divisionem, nullamque rationem oppositionis haberi. Etenim *credere* non *factum esse* (e. g. Vasallum investituram non accepisse) & non *credere factum esse* (Vasallum investituram accepisse) plane coincidunt. Nisi quis jejuno more verba captare, & ex positu particulæ *Non* litem hanc dijudicare velit. Quod vero cum omnibus eruditis tum maxime Jurisperitis indignum est. Res quidem, quam jurejurando

 cre-

credulitatis affirmamus, vel affirmativa vel negativa esse potest, sed inde nemo fundamentum dividendi juramentum Credulitatis in affirmativum & negativum desumsit.

§. IX.

Si auctoritati Viri summi cedere fas esset, ille rationem differentiæ affirmativi & negativi juramenti Credulitatis ita satis subtiliter sed frustra nobis persuadere præsumit: *Si quis*, inquit, *cogatur respondere, credatne Titium vivere, an non credat? ille, qui dicit, se non credere illum vivere, non statim dici potest, credere, illum esse mortuum, quia potest esse, ut non credat, illum mortuum. Secus est, si postponat negationem: credo eum non vivere; nam tum idem esset, ac si dixisset: Credo eum esse mortuum.* Sed quis non videt, nisi præjudicio auctoritatis occœcatus, quod is, qui *non credit*, Titium *vivere*, itidem *credat*, illum *non vivere*, siue mortuum esse, & hæc ita promiscue dici, nec differre inprimis manifestissimum redditur ex Ordin. Camer. Imper. ubi quod dicitur *Part. I. Tit. LXXI.* ob ihr die (sc. des Klägers Articul.) glaubet oder nicht glaubet wahr seyn? veluti data opera his verbis repetitur *part. I. Tit. LXXIII.* daß ihr glaubet / dieselbe (Klägers articul) wahr, oder nicht wahr seyn. Idem indigitare videtur CARPZOV. *L. III. Resp. LXI.* qui *num.* 7. refert sententiam Scabin. Lipsiens. ibi: Daß sie dafür hielten und

und gläubten / daß ihr Vater —— ein mehreres nicht zu sich genommen & *c. l. n. 14.* aliam Sententiam Senat. Appellat. subjungit, qua verba habentur: Daß er nicht glaube / daß —— die specificirten Stücke ihr Ehemann zu sich genommen. Nec ulla ratio est, ut diximus, cur particula *non* ante vel post τὸ credere posita magis vel minus negare, vel plane affirmare dici possit, & tamen τὸ credere non factum esse ad Juramentum credulitatis affirmativum expresse referunt. Si similem subtilitatis licentiam sumere nobis permissum esset, tam ex natura enunciationis, quam ex usu linguæ monstrare possemus, positum particulæ negandi nihil hic inferre. Sed hoc unicum considerassent viri doctissimi, quando dicimus: *Non credo, eum vivere*, intelligendum esse, ac si scriptum aut dictum esset: *Non, credo, eum vivere*, aut nihil prorsus dici, aut affirmari, nunquam in eam sententiam prolapsi essent. Ita enim formula explicanda est: *Tot indicia, tot testimonia habeo, ut facile persuadear, eum non vivere;* quod idem est, ac si scripsissem: *tot indicia, tot testimonia habeo, ut non possim mihi persuadere, eum vivere, siue ut affirmare nequeam, eum vivere.* Vnde liquet idem prorsus, quoad rem & sententiam, utraque formula dici.

§. X.

Nec magis nobis se probat alterius cujusdam non minoris celebritatis JCti sententia, qui putat, quod, qui non credit factum esse, non probabiliter sciat, sed adhuc dubitet, adeoque de credulitate non affirmative sed negative jurare debeat. Potius hac formula jurans distincte aliquid ponit, & non factum esse probabiliter, vere tamen, asseverat, & firmiter credit, & idem est, ac si juret, se credere non factum esse, prout §. antec. IX. demonstratum est. Quod dubitantem ad jusjurandum credulitatis negativum vocandi consilium valde periculosum, & perjuriis temerariis viam aperire nobis videtur. Et certe dubitans nihil ponit, neque affirmat neque negat. Dubitatio plane excludit probabilem conscientiam, quam ipsa natura juramenti credulitatis, ut dictum est, maxime postulat, potius qui de facto vel non - facto dubitat, si vel maxime jurandi licentia ipsi danda esset, illud ignorare censetur, unde dubitans & plane ignorans in jure exæquantur *arg. l. ult. §. 2. ff. de furt. l. ult. ff. de Condict. indeb.* sicque ignorantiæ non vero credulitatis juramentum salva conscientia præstat. Ut dubitatio ac incertitudo tollatur, jurare convenit, recte inquit DVARENVS *in Comment. in Lib. XII. Tit. II. de Jurejurand. Cap. XII. & l. 34. pr. ff. de Jurejur.* vult VLPIANVS: spatium dandum esse ei, qui jurare cogi debet, ut *certioretur*, & sic juret.

Fere

Fere in hunc modum, ut idem VLPIANVS, *in l. 13. §. fin. ff. de recept. qui arbitr.* spatium arbitro dari jussit, si juret sibi de causa nondum liquere. Plane si Judex pedaneus, qui, *se ex animi sui sententia facere*, in pronunciando profiteri solitus est, ut testatur BRISSON *de Formul. Libr. V.* ad pronunciandum a Prætore urgeri non poterat: multo minus, cui de facto non liquet, ad jusjurandum cogi vel admitti potest, quod *ex animi sententia*, in fidem invocato Numine, procedere debet *arg. l. 2. §. 2. C. de Jurejur. propt. calumn.* ibi: *eo quod ex animi sui scientia jurent.* Ita quidem multum refert, juramentorum horum confusionem sollicite evitare, utpote quo temeritati & vanæ simplicitati hominum recte occurritur, & teneris conscientiis provide consulitur.

§. XI.

Altera, quam modo diximus, juramenti credulitatis negativi formulæ pars, qua quis *se non credere, hoc vel illud, non factum esse* jurare dicitur, nec sensu, nec certa ratione nititur. Aut enim duæ negationes fortius affirmant, & qui non credit, non factum esse, *credat*, *factum esse*, necesse est, adeoque de credulitate affirmative jurare debet; Aut, qui terminis inhærent, ex puris negativis nihil consequi, fateantur. Utroque sensu in hac conditione jurandi nihil agi-

 tur;

tur, nec ea adeo formula opus esse videtur. Priori quippe sensu ad aliam speciem jurisjurandi pertinet; posteriori vero est prorsus frustranea, juramentum autem frustraneum ipse sanctior cultus divinus maxime abhorret. Et cum recte dicatur, quod juramentum credulitatis ad asseverandam & confirmandam credulitatem praestetur; *Illustr.* M E N C K. *ad tit. ff. de Jurejurand.* §. *XXXVII.* natura etiam juramenti in assertione religiosa consistat: nullum vere negativum juramentum proprie admitti facile debet, hinc is, qui, se credere non factum esse numerationem pecuniae, jurat, recte falsitatem praetensae numerationis asseverare dicatur.

§. XII.

Urget quidem porro JCtus, qui dissentientium castra sequitur, rationem differentiae juramenti credulitatis negativi in genere & gradu credulitatis positam esse: Nimirum cum conjecturae aliae sint fortiores, aliae debiliores, putat, si conjecturae apparentes ad inducendam veritatem probabilem non sufficiant, omnino hoc negativo jurejurando opus esse, nec statim ad ignorantiae sacramentum procedi posse, quum aliud sit, ex debilioribus rationibus aliquid factum, vel non factum, non credere; aliud rei veritatem vel falsitatem plane ignorare. Verum enim vero plane dubitamus, quin ejusmodi gradum credulitatis particula *non*, diversimode adhibita, significare & conficere possit, ut potius

ius, si fortiores conjecturæ non adsint, ex debilioribus sollicite collectis conjecturis elicita credulitas jurata fide recte adfirmari possit. Nec magis conscientiæ læsionem evitat, qui virtute debiliorum conjecturarum adductus negative, se non credere factum esse, quam qui affirmative τὸ credere non factum esse jurato enunciat. Et ut caput disceptationis comprehendamus, qui, ita dictis debilioribus indiciis commotus, jurat, veri vel falsi conscientiam probabilem habere, aut non habere, dicendus est. Illo casu credulitatem suam, sive se credere, non factum esse, jurato comprobet: hoc vero casu ignorantiam suam sub religione sacramenti confiteatur necesse est, ut dicitur *in c. 15. X. de restit. spoliat.* notanter: *se nec scire nec credere, supra dicta ab hospitali possessa, vel ad illud aliquatenus pertinere.* Qui igitur ignorat, & nescire & non credere dici potest, hinc ignorare & non credere promiscue usurpari, observare licet. Quo facit notabil. *l. 9. §. 4. ff. de jur. & fact. ignor. ibi: Qui ignoravit, dominum esse rei venditorem, plus in re est, quam in existimatione mentis, & ideo tametsi existimet, se non a domino emere, tamen si a domino ei tradatur, dominus efficitur.* Ea enim est natura juramenti ignorantiæ, ut τὸ nescire vel τὸ non credere asseveremus, id est, apodicticam vel probabilem scientiam rei, prout res fert, jurato abnegemus, ita expresse dicitur: **LandR.** *Lib. I. art. VI.* **Seine Wißenschafft soll Er läugnen, und dafür schwören &** hæc nominatim forma juramento credulitatis præscripta est, *ut, quod quisque credit & existimat hoc sit jurandum*

dum, quæ ſunt expreſſa verba *l. 2. §. 2. C. de jurejur. propt. calumn.*

§. XIII.

Quæ cum ita ſint, plane præter rem mos collegiorum provide receptus redarguitur, quod indifferenter, poſthabita diſtinctione juramenti credulitatis negativi & affirmativi, injungant juramentum credulitatis, per verba : *credo & exiſtimo* ich glaube und halte dafür : Rationem addunt, quod is, qui per *neſcit* litem conteſtatus eſt, quod *non credat*, factum eſſe, neceſſario jurare debeat, quæ jurisjurandi formula litis conteſtationi, per *neſcio* factæ, maxime reſponderet, adeoque ſententionantibus, qui in conceptione juramentorum maxime ad litis conteſtationis formam attendere ſolent, etiam hoc caſu ab eadem recedere non liceat. Enim vero, cum ſupra §. IX, X. jam demonſtratum ſit, iſta captatione verborum nihil agi; & præterea Juramentum, quod credat, *non factum eſſe*, litis conteſtationi, per *neſcit* factæ, ſatis apte reſpondeat; potius Jus dicentes hoc jure utuntur, ut iſti ficto juramento credulitatis negativo omnem uſum fori denegent. Potius in laude ponendum eſt, quod ita ſollicite provideant, ne ſimpliciores in reatum jurisjurandi temerarii præcipitentur.

§. XIV.

§. XIV.

Imo si quis forte in sententia jussus sit, jurare, quod non credat, hoc vel illud factum esse, ad officium boni judicis omnino pertinet, ut, si diligenti instituta perscrutatione conscientiæ, animadverterit, hominem, sibi non recte conscium, adhuc dubitare, an factum vel non factum sit: Illum a modo dicto juramento plane arceat, licet vel maxime ita dubitans, magis se non credere, factum esse, quam credere non factum esse dixerit. Quod si enim, se firmiter credere, illud non factum esse, jurato asseverare nequeat: nec de credulitate, quam non habet, sive affirmativis sive negativis verbis exprimatur, jurare integrum est; si gravem temerarii juramenti, vel adeo perjurii suspicionem evitare, curæ cordique est. Igitur quo magis homines tenuioris fortunæ, nimis creduli, vel spe lucri invitantur, vel vana simplicitate decipiuntur: Eo major circumspectio a judice cordato adhibenda est, ne temerario vel plano impio ausu de credulitate jurare sibi sumant. Quod quidem sæpe evitari poterit, dum in causæ & facti circumstantias & fundamenta credulitatis, ad jurandum se proterve offerentis, omni data opera inquirat; Si suspectæ hypothesi repugnantes circumstantias graviter & demonstrative juraturo opponat; cum ipsius indiciis conferat, sicque probabilitatem veram vel apparentem

hypotheſeos, ſub qua jurare præſumitur, ſedulo ſub examen vocet, & fallacias cauſarum & indiciorum apparentium alia fortioris hypotheſeos, ex variis indiciis collectæ, virtute, ſi ita res fert, deſtruere ſatagat. Quandoquidem crudæ cogitationis eſt, dixiſſe, neminem de alterius conſcientia judicare poſſe: cum hac in re, enumeratis indiciis & documentis, ad credendum impellentibus, de ipſa credulitate ſeu probabilitate levi negotio conſtare poſſit. Nuda autem ſuſpicio, quæ plane non, aut male fundata eſt, in hunc cenſum referri non debet: etſi ſciamus, ſæpe eam cum credulitate iſta confuſam eſſe, & maxime ab imperitis & plebejis confundi. Id quod in cauſa fuiſſe videtur, quod circa juramenta, eorumque conceptiones, adeo multum arbitrio judicis jam jure Romanorum datum ſit. *l. 34. §. 5. & 8. ff. de jurejur.* & jure Saxonico paſſim, & inprimis Ordin. Proc. Sax. Nov. *ad Tit. XIIX.* idem factum eſſe, animadvertamus. BERGER *Elect. Diſcept. Forenſ. Obſerv. V. not. 4. pag. 548.*

§. XV.

Cum vero non ſolum faciles ſint nonnulli hominum ad jurandum, & inprimis de credulitate vel quaſi, contemtu religionis, vel temeritate, ſed & alii perquam timidi, metu divini Numinis usque ad ſuperſtitionem (verba fere ſunt *l. 8. ff. de Condition. Inſtitut.*) quod

quod in juramento de probabili conſcientia eo magis condonandum eſt; ne vel hi nimio rigore & ſcrupuloſitate deterreantur, illi in inconſulta facilitate jurandi perſiſtant: Judex conſultiſſime arbitrium ſuum eo dirigat, ut & hujus perſonarum, ſicuti rerum, diverſitatis rationem habeat, quod exigit nominatim VLPIANVS *in l. 34. §. 8. ff. de jurejur.* Et ſi forte pertinax malitia non ſine metu perjurii ſe ad jurandum offerentis adeo reſiſtat judici, in veritatem cauſæ inquirenti, ut ipſius rationes credulitatis, alta mente repoſtas, nullo conſilio evocare, adeoque non examinare poſſit; & circumſtantiis, graviter repugnantibus, ipſius credulitati oppoſitis, animum advertere nolit, quem advocatus malevolus ſæpe induravit, usque adeo, ut omnem judicis ſolertiam eluderet: omnis res pertinacis hominis conſcientiæ relinquenda eſſe videtur, utpote quæ non vult cogi, ſed perſuaderi. Et hoc ſolo officium judicis terminatur: Niſi ex quarundam circumſtantiarum confeſſione, in judicio forte elicita, vel aliunde directo repugnantia indicia manifeſtentur, quorum ope alia & contraria quidem probabilitas ipſi judici ſubnaſcatur, cujus beneficio a conditione jurandi interim ſuſpenſus, poſtea per ſententiam vel decretum plane repellatur. Plura addere nec lubet, nec ad inſtitutum noſtrum pertinere videtur. Principia hic tradidiſſe, ex iisdem nonnullos abuſus notaſſe, & ad verum uſum amplificandum alios excitaſſe, nobis ſufficit. Liberius

rius dicunt, & ad specialiores casus progrediuntur LAVTERBACH. *in Disp. supr. alleg.* & *Disp. de relatione jurisjurand. item Illustr. a* BERGER *in E. D. F. ad Tit. XIIX. O. P. S. observ. VI. & integr. notis p. 549. & seqq.*



NOBILISSIMI DOMINI RESPONDENTIS

OPTIMO PARENTI

S. P. D.

PRÆSES.



Andem ergo in publicum prodire jubes Filium, Virtutum Paternarum heredem ex asse, quem non per saltum, quo alii studiorum academicorum spatia transmittunt, sed legitime emenso quadriennii tempore optimis artibus imbui voluisti. Jure TVO *uteris, ut, quem tam benigno affectu tanto tempore aluisti, & omni genere doctrinarum, me quoque doctore, formari curasti: specimen profectuum, quos eo temporis intervallo fecit, meo sub moderamine edere jubes. Sic filium optimum* INDULGENTISSIMI PARENTIS *exemplum sequi decet, qui in hac Academia non levis eruditionis vestigia dissertationibus*

)(3 *suis*

ſuis pereruditis, egregia pro filio diligentiæ incitamenta, reliquit. Faxit Deus, ut ſumtuum omnisque TVÆ curæ ampliſſimos fructus ſentias, & ut filius ad tale honoris faſtigium in Republica enitatur, in quali TE, virtute comite, conſtitutum veneratur eccleſia. Ea eſt generoſæ mentis indoles, ut ſi non ſuperare, tamen exæquare paternæ virtutis gloriam contendat. Ita futurum eſt, ut OPTIMI PARENTIS *voto, curæ, ſumtibus, Patriæ ſpei & Magnorum Patronorum expectationi abunde ſatisfiat, quod & votorum meorum ſumma eſt.*



